

Lucubrationum Posidonianarum Spec. II.

I.

Quoniam *Lucubrat. Posid.* specimine primo¹ satis de Posidonii dicendi disceptandique ratione exposuimus, iam ad Cleomedem accedamus consideremusque, si placet, prioris libri *Cyclicae theoriae* capita II—VII (p. 20, 15—72, 12 Z.), quippe e quibus quem ad modum Cleomedes disputationes suas consarcinauerit optime intellegatur.

Atque initio quidem cap. II (p. 20, 18—22, 2) Cleomedes quinque primarios caeli circulos dinumerat monetque circulum arcticum atque antarcticum pro climatum terrae diuersitate diuersa uti magnitudine certisque adeo quibusdam locis plane euanescere. quinque caeli interuallis totidem terrae partes subiectas esse quae a physicis zonae nuncupentur. zonarum autem duas extremas propter frigus, mediam propter ardorem habitari non posse. residuas duas ab hominibus incoli. quarum utramque in duas partes dirimi ita ut in altero hemisphaerio nostra sit habitatio et perioecon, in altero antoecon et antipodum. qua discriptione proposita quae nobis cum perioecis antoeccis antipodibus communia sint quaeque diuersa diligenter explanatur (pg. 22, 2—28, 10). in calce autem capitis II (p. 28, 11—15) haec breuis dispositio sequentis disputationis conlocata est: ἔξῆς ἐπιδεικτέον τὴν αἰτίαν, δι' ἣν τὰ μὲν κατέψυκται, τὰ δὲ διακέκωνται τῆς γῆς, τὰ δὲ εὐκράτως ἔχει· καὶ διὰ τί ἀντέτραπται τὰ κατὰ τὰς ὥρας καὶ τὰς ἀυξήσεις καὶ μειώσεις τῶν ἡμερῶν τοῖς τὴν ἀντέκρνον ἔχουσιν. inquirendum igitur sibi proposuit Cleomedes primum cur aliae terrae partes frigore, aestu aliae inhabitabiles essent, aliae uicissim temperie caeli uterentur. res paucis confici poterat explicato solis inter tropicos circulos cursu. at Cleomedes hoc satis esse non ratus multo altius repetit. nam capite III stellas ob disparilitatem motus in duo genera scilicet in fixas et errantes dispescit (p. 28, 18—30, 15), tum de errantium ordine agit (p. 30, 16—32, 17). has per signiferum mo-

¹ Cf. *Comm. in hon. Wachsmuthii scr.* (1897) p. 13 sqq.

ueri neque eum transgredi (p. 32, 18—22). quod capitis IV priore parte (pg. 32, 26—36, 5) adcuratius demonstratur atque ita quidem ut primum satis simplex solis cursus praecise explicetur, deinde implicatior ceterarum planetarum per zodiacum cursus fusa et prolixa oratione exponatur. qua inquisitione ad finem perducta solis inter tropicos cursum causam esse cur aliae terrae partes combustae, aliae refrigeratae, temperatae aliae sint Cleomedes paucis uerbis admonet (p. 36, 6—16). magno acumine opus non est ut Cleomedem adcuratam de stellarum fixarum et errantium cursu disputationem nescio unde adreptam usui suo notula illa qua solis cursus diuersitatis zonarum causa esse indicatur adcommodauisse perspicias. namque ne illam de stellis fixis planetisque commentationem primitus ad eum finem perscriptam esse censeamus, ad quem eam adhibuit Cleomedes, uetat cum tota eius indoles tum quod plurimae in illa res latius tractantur quae ad quaestionem de cingulis terrae ne hilum quidem attinent: ueluti intricatus cursus sex quae sunt praeter solem stellarum uagantium. alia mitto.

Priore disquisitionis parte absoluta iam ad alteram Cleomedes transit qua explicandum sibi proposuerat (cf. p. 28, 13—15) quam ob rem anni tempora et adcrectiones deminutionesque dierum et noctium incolis alterius temperatae contraria essent atque nobis. causa huius rei nimirum inclinatio mundi (ἔγκλιμα τοῦ κόσμου) est quam inde a p. 36, 21 ad p. 40, 19 nimia paene diligentia describit¹. qua inclinatione effici ut circulorum parallelorum, qui inter polarem borealem et aequinoctialem positi sunt, in nostra habitatione supra terram sint maiores partes; e contrario circulorum inter polarem australem et aequinoctialem conlocatorum partes minores (p. 40, 20—44, 4). quibus declaratis Cleomedes in altera zona temperata hasce res contra se habere breuiter significat (p. 44, 5—13). iam sol iter per signiferum faciens omnes qui inter tropicos sunt circulos tangit. horum autem circulorum segmentis supra terram conlocatis aequabiles sunt dierum magnitudines, ut cum sol tropicum hibernum percurrit, brumam; cum aequinoctialem attingit, aequinoctium; cum denique ad tropicum aestiuum peruenit, longissimum diem habea-

¹ De hoc loco sicuti de aliis multis Cleomedae scriptionis plane ualet quod Balforeus ad l. II c. 1 § 69 (cf. Bakei comm. p. 397) adnotauit: 'unum hoc in Cleomede odiosum, quod saepe argumenta sua ad nauseam usque iterat.'

mus (p. 44, 14—46, 28). sequitur rursus notula qua in ἀντε-
κρότω haec omnia contraria esse edocemur (p. 48, 1—10). iam
demonstrauit scriptor quae p. 28, 11—15 demonstranda sibi pro-
posuerat expectandumque erat ut ad nouum argumentum se con-
uerteret. quod non fit, sed continuatur disquisitio de anni tem-
poribus deque adcretionem et deminutionem dierum et noctium, at-
que ita quidem ut missa altera temperata nostrae tantum habi-
tationis ratio habeatur. hoc maximi ponderis est; neque minoris
quod ea quae p. 48, 14—50, 10 de anni temporibus exponuntur,
artissime se adplicant ad ea quae p. 44, 14—46, 28 dicta sunt.
unde consequitur Cleomedem in altera parte disputationis suae
componenda consimili modo uersatum esse atque in priore. nempe
sumpsit alicunde luculentam de anni temporibus deque adcretionem
dierum disquisitionem, quae nimirum nostram habitationem respi-
ciebat, paucissimisque de suo additis uerbis — sunt uidelicet
notulae illae quibus in altera zona temperata res contrarias esse
breuiter indicatur (p. 44, 5—13 et p. 48, 1—10) — consilio suo
inseruire coegit.

Disputatiuncula de solis conuersionibus in fine cap. V posita
commode excipitur ab iis quae in priore parte capitis VI (p. 50,
15—56, 26) explanantur. ubi primum exponitur quam ob cau-
sam dierum adcretiones non aequali incremento utantur, deinde
cur ne tempora quidem quae inter tropicos et aequinoctialem in-
tercedunt aequalia sint, postremo cur dierum noctiumque spatia
(*νυχθήμερα*) inter se sint inaequalia. hae quaestiones non est
dubitandum quin ad commentationem de anni temporibus deque
adcretionem dierum pertineant. a qua quae insequitur disputatio
(p. 56, 27—60, 25) aliena est. hoc uel inde perlucidum est
quod cum modo praegressa disquisitione de dierum noctium-
que spatiis plane non cohaeret, sed ad ea pertinet quae multo
ante statim principio cap. VI (p. 50, 15—52, 20) disseruntur.
alteram causam, quare posteriorem capitis VI partem a Cleomede
disputationi quam pro fundamento adhibuit adfusam esse existi-
mandum sit, postmodo uiderimus. expenditur autem ista capitis
VI parte Posidonii de zona torrida opinatio. qui quod sol cir-
culus qui iuxta aequinoctialem sunt celerius percurrit quam eos
qui a tropicis prope absunt, plagam illam, quae uolgo calore
adusta putabatur, temperatam hominibusque habitabilem esse au-
tumabat (p. 56, 27—58, 24). cui Posidonii sententiae obnititur
Cleomedes prouocans ad eius aduersarios (p. 58, 25—60, 25).

Caput VII incipit a noua diuisione terrae ad normam

umbrae facta (p. 62, 3.—22). quae disputatiuncula uelut insula in pelago natat, si quidem nec cum antecedentibus neque cum subsequenteribus ullo interiore uinculo continetur. namque cum refutatione Posidonii nihil aliud habet commune nisi quod ipsa quoque ad quaestionem de cingulis terrae spectat. quae autem eam sequuntur diligentiore consideratione digna sunt. legimus p. 62, 23 sqq. haec: ἔτι δὲ δεῖ κάκεινο ἐγνωκέναι ἐνταῦθα, ὅτι κατὰ ταῦτόν αὖξεται ἢ νῦξ καὶ μειοῦται ἡμέρα πάντων τοῖς ἔχουσιν τὴν ἡμετέραν εὐκρατον· οὐ μὴν ἴση γε ἢ (sic exarandum: libri aut οὐ μὴν ἢ ἴση γε aut οὐ μὴν γε ἴση ἢ) προσθήκη καὶ ὑφαίρεσις παρὰ πάντων ἔστιν, ἀλλὰ πολλή ἔστιν ἢ ἐν τούτοις παραλλαγὴ κτλ. subsequitur adcurata huius argumenti expositio. haesito an nullo loco Cleomedes tanta negligentia undique conlecta membra conglutinauerit quanta hoc loco. aciem oculorum uelim intendas in uerba ἔτι δὲ δεῖ κάκεινο ἐγνωκέναι ἐνταῦθα. manifestum est qui hac locutione utitur, eum significare habere sese quod ad rem modo tractatam addere uelit. hoc tenentes cum Cleomedis locum perpendimus, miramur atque stupemus. etenim quae inde a p. 62, 23 disceptantur, ea minime pertinent ad quaestionem de zonis ad normam umbrae constitutis; quam quaestionem insuper ipse Cleomedes ad umbilicum perductam esse distincte pronuntiauerat p. 62, 21 prox.: καὶ τοιαύτη μὲν ἔστιν ἢ περὶ τὰς ζώνας τῆς γῆς διαφορὰ. quid igitur? nempe cogimur confiteri Cleomedem nostro loco diuersa temere conligasse. sed ne cum Posidonii quidem de zona exusta opinione eiusque refutatione — quae uidelicet praecedunt terrae ad normam umbrae descriptionem — coniungi possunt quae in altera cap. VII parte legimus. contra optime atque sua sponte ea sese adplicant ad priorem partem capitis VI (p. 50, 15—56, 26), quam ad dissertationem de temporibus anni deque adcretionem diminutionemque dierum et noctium pertinere supra cognouimus. quippe quae altera cap. VII parte exponuntur, ea et ipsa ad hanc quaestionem spectant. remouenda igitur quae Cleomedes praepostere inculcauit (p. 56, 27—62, 22) ut uerba ἔτι δὲ δεῖ κάκεινο ἐγνωκέναι ἐνταῦθα et q. s. recto talo stent. ceterum quae inde a p. 62, 23 proferuntur inter se bene cohaerent neque interpolationibus deformata uidentur¹. extrema uero cap. VII

¹ Nisi forte hoc nomine adpellanda censes quae Cleomedes ex prioribus partibus disputationis de adcretionem dierum in hac parte iterauit (cf. ex. c. p. 64, 7 sqq. cum p. 36, 21 sqq. et cum p. 38, 25 sqq.) sed ista sententiarum conexum non turbant.

uerba (p. 70, 23—72, 12) e compilatoris officina prodisse quiuis confestim peruidet.

Haec fere habui quae de compositione cap. II—VII dicere. uti autem summam disquisitionis meae strictim complectar, Cleomedes nescio unde cap. II quo uniuerse de V zonis terrae agitur descripsit. hic quae ponuntur ut demonstraret, duas amplas commentationes usurpauit quas quibusdam locis interpolauit. quarum altera erat de stellarum fixarum et errantium motu, altera de anni temporibus deque adcretionem et decretionem dierum noctiumque. ad illam referenda sunt quae apud Cleomedem leguntur: cap. III p. 28, 18—32, 22; cap. IV p. 32, 26—36, 5; ad hanc quae cap. IV p. 36, 21—38, 19; cap. V p. 38, 25—44, 4; p. 44, 14—46, 28; p. 48, 14—50, 10; cap. VI p. 50, 15—56, 26; cap. VII p. 62, 23—70, 22. Cleomedes autem interpolauit haec: cap. IV p. 36, 6—21; cap. V p. 44, 5—13; p. 48, 1—13; cap. VI p. 56, 27—60, 25; cap. VII p. 62, 3—22; p. 70, 23—72, 12.

Iam si placet inquiramus quosnam Cleomedes in conscribendis capitibus II—VII auctores secutus sit. cum uero disquisitiones nostras eo potissimum consilio instituerimus ut Posidoniana doctrinae rudera per Cleomedis descriptionem dispersa inuestigaremus, satis habemus singulis locis perscrutari utrum Posidonius Cleomedis fons sit necne. disputatio autem nostra ut ordine atque uia procedat, incipiamus a capite II quod de quinque terrae cingulis deque zonarum temperatarum descriptione est. cuius capituli auctorem quo minus philosophum Apamensem esse arbitremur, duae grauissimae obstant causae. quarum prior est quod ad zonas temperatas ab frigidis disiungendas circulus arcticus et antarcticus adhibentur (cf. p. 22, 1 sqq.)¹. hanc determinandi rationem a Posidonio reprobata esse attestatur Strabo l. II 95 C (cf. Bake, *Pos. Rhod. rell.* p. 93): τοῖς δὲ ἀρκτικοῖς οὐτε παρὰ πᾶσιν οὖσιν οὐτε τοῖς αὐτοῖς πανταχοῦ τίς ἄν διορίζοι τὰς εὐκράτους, ἀίπερ εἰσὶν ἀμετάπτωτοι; τὸ μὲν οὖν μὴ παρὰ πᾶσιν εἶναι τοὺς ἀρκτικούς, οὐδὲν ἄν εἴη πρὸς τὸν ἔλεγχον· δεῖ γὰρ παρὰ τοῖς τὴν εὐκρατον οἰκοῦσιν εἶναι πᾶσιν, πρὸς οὐσπερ καὶ λέγεται μόνους εὐκρατος. τὸ δὲ μὴ παντα-

¹ Ceterum haec diuidendi ratio quamuis sit peruersa et stulta, tamen apud plerosque ueteres scriptores obuiam fit (cf. Berger, *Die geogr. Fragm. des Eratosth.* [1880] p. 74 not. 4).

χοῦ τὸν αὐτὸν τρόπον, ἀλλὰ μεταπίπτειν καλῶς εἴληπται (sc. a Posidonio).

Deinde cum Posidonius Polybii sententiam amplexus¹ quae uolgo torrida perhibebatur zonam maximam partem temperatam atque habitabilem esse autumaret, Cleomedis auctor reuera torridam eam ob aestumque inhabitabilem esse existimabat (cf. p. 22, 13 prox. et p. 28, 5 sqq.). Posidonii de zona usta opinionem seruauere nobis Strabo l. II 95 C et Cleomed. l. I cap. VI (p. 58, 6 sqq.). cf. et Berger, *Gesch. der wiss. Erdk. der Gr.* uol. IV p. 65 prox.² ex hisce duobus a Posidonii doctrina discriminibus cogitur efficiturque caput II *Theoriae cyclicae* ad hunc reuerti nequire.

Possum iam ad disquisitionem de stellarum fixarum erraticumque motu excutiendam transgredi; tamen discriptionem incolarum cingulorum temperaturarum quae apud Cleomedem (p. 22, 14—28, 10) exstat paullo intentius intueri satius nobis uidetur. quae de homines doctos non prorsus recte iudicare sentio. praeunte enim Luebberto in *Mus. Rhen.* uol. XI (1857) p. 429 sqq. Cleomedem l. l. Cratetem secutum esse eiusque intemeratam doctrinam expromere putant³. uerum haec opinatio grauib. obnoxia est dubitationibus. id sane non nego Cleomedem in uniuersum Cratetis opinionem exhibere, sed nego eum puram nobis strenui Aristarchi aduersari doctrinam ex ipsius scriptis petitam largiri. ac primum quidem Cleomedis disputationem locupletiolem esse agnoscimus quam Cratetis fuisse censendum est, ut uel hinc parum ueri si-

¹ Polybium non singulari scriptura sed in XXXIV libro *Historiarum* de cingulis terrae egisse rectissime contendit M. C. P. Schmidt in *Fleckeis. Annal. phil.* uol. CXXV (1882) p. 113—122. cf. etiam *Philol.* uol. XLII (1882) p. 104.

² Secus de Posidonii zonis exposuit Schmekelius in libro suo *Philos. d. mittl. Stoa* [1892] p. 286. neque probari possunt quae disputauit Malchinus in dissertatione *De auctoribus quibusdam qui Pos. libr. meteor. adhib.* [1893] p. 18; qui capite altero libri prioris Cleomedae scripturae sinceram Posidonii de terrae cingulis doctrinam exhiberi sibi persuasit (cf. l. l. p. 18 not. 1)! ceterum moneo me hic infraque Malchini errores ea solum modo de causa exagitare ut is qui libellum meum qui inscribitur *Quaest. Pos.* [1895] publice expendit in diario *Wochensch. f. kl. Philol.* [1896] nr. 37 p. 1010 sq. tandem intellegat cur Malchini commentationem futilem esse dixerim.

³ Cf. Wachsmuth, *De Cratete Mallota* (1860) p. 24 not. 2 et Berger, *Gesch. der wiss. Erdk. der Gr.* uol. III p. 129.

mile sit Cleomedem ipsum Cratetem in usum suum aduocasse. accedit altera causa quare Cleomedem notitiam Crateteae doctrinae fonti secundo debere opiner. Cleomedis enim disputatio cum in ceteris rebus adcurate Cratetis sententias exprimat, in una tamen re ab eo plane discrepat. continetur istud discrimen hisce Cleomedis uerbis (cf. p. 26, 28 sqq.): ὅτι δὲ δεῖ εἶναι καὶ περιοίκους καὶ ἀντίποδας καὶ ἀντοίκους φυσιολογία διδάσκει, ἐπεὶ οὐδὲν γε τούτων καθ' ἱστορίαν λέγεται. οὔτε γὰρ πρὸς τοὺς περιοίκους ἡμῖν πορεύεσθαι δυνατόν διὰ τὸ ἄπλωτον εἶναι καὶ θηριώδη τὸν διείργοντα ἡμᾶς ἀπ' αὐτῶν ὠκεανόν, οὔτε πρὸς τοὺς ἔχοντας τὴν ἀντεύκρατον, ἐπεὶ ἀδύνατον ἡμῖν τὴν διακεκαυμένην ὑπερβῆναι. ubi manifesto inter sese opponuntur oceanus et zona torrida: unde necessario consequitur ut Cleomedem potius eius auctorem hanc ab illo diuersam i. e. terrenam esse nec ab oceano occupari putasse statuamus. atqui Crates Cleanthis aliorumque auctoritatem secutus sub plaga usta oceanum effusum esse credebat circuli in modum circa uicinam utramque zonam moderatam. cf. Gemini *Introd.* cap. XIII p. 31 Uran. Pet. ed. II: ὑπὸ δὲ τὴν διακεκαυμένην ζώνην τινὲς τῶν ἀρχαίων ἀπεφάναντο, ὧν ἐστὶ καὶ Κλεάνθης ὁ Στωικὸς φιλόσοφος (u. Wachsmuth, *Comm. II de Zen. Cit. et Cleanthe Ass.* [Gott. 1875] p. 14), ὑποκεχύσθαι μεταξὺ τῶν τροπικῶν τὸν Ὀκεανόν. οἷς ἀκολούθως Κράτης ὁ γραμματικὸς τὴν πλάνην τοῦ Ὀδυσσεύως (potius Menelai; cf. Muellenhoff, *Deutsche Alt.* 1² p. 250) διατάσσων καὶ τὴν ὄλην σφαῖραν τῆς γῆς καταγράφων — ποιεῖ μεταξὺ τῶν τροπικῶν τὸν ὠκεανόν κείμενον. cf. Wachsmuth, *De Crat. Mall.* p. 23 sqq. ista notabilis inter Cratetem et Cleomedis auctorem discrepantia nescio quo pacto Luebbertum eiusque adsecelas subterfugit. contaminauit igitur ille quem suppilauit Cleomedes Cratetis doctrinam uolgari ita ut lineamenta Crateteae doctrinae retineret, improbata autem quam Crates probarat Cleanthis de oceano zonam torridam complente sententia inter tropicos circulos terram propter ardorem inhabitabilem iacere statueret — uolgarem nimirum tritamque opinionem secutus. quis uero ille fuerit qui tali ratione Cratetis doctrinam immutaret nescitur. tamen non prorsus ignobilem aut obscurum scriptorem fuisse ex eo aliquis colligat quod uestigia eius non apud Cleomedem solum relictia sunt.

Hyginus siue is, qui celeberrimi illius grammatici nomen ementitus est, *Poeticis astronomicis* breuem commentationem praemisit qua elementa astronomica explicantur. nemodum quod sciam

in huius astronomicon partis fontem adcuratius inquisiuit. ac ne ego quidem hanc quaestionem hic absoluere animum induxi; satis habeo pauca quaedam ad eam conferre. non suam, sed alienam doctrinam ab Hygino expromi facillimum est intellectu: oratio enim mire quam contorta ab ingenioque sermonis latini abhorrens nec non magna multitudo Graecorum terminorum technicorum satis ostendunt uirum bonum scriptorem aliquem Graecum paene ad uerbum transtulisse. ad cuius aetatem paullo certius circumscribendam non nihil faciunt quae leguntur p. 25, 10 sqq. ed. Bunt.: itaque Aethiopes sub utroque orbe necessario fiunt.' e quibus uerbis clare elucet Hygini auctorem Cratetis interpretationem Odysseae libr. I u. 23 sqq. (cf. Wachsmuthium l. l. p. 46 prox.) probe dignouisse eiusque dispositionem terrae probasse (cf. et p. 28, 19 sqq. ed. Bunt.). fuit ergo Cratete posterior. rectius dixissem maximam saltem partem Cratetis dispositionem terrae Hygini auctoris plausum tulisse. nam in una re secus statuebat atque ille, si quidem zonam nostram ab altera zona temperata interiecto terrae spatio separari contendebat. nam cf. p. 28, 19 sqq.: 'quod cum ueniat (= eueniat) in hac definitione¹, illud quoque fieri posse uidemus, ut hiemali circulo nobis ad antareticum finem habitari possit, quod pares eodem proueniant casus. certum quidem esse nemo contendit neque peruenire eo potest quisquam propter interiectum terrae quae propter ardorem non habitatur. sed cum uidemus hanc regionem sphaerae habitari, illam quoque in simili causa posse constitui suspicamur.' ne longus sim: uides Hygini auctorem plane eadem sentire atque Cleomedis: probabat Cratetis descriptionem zonarum temperatarum, reprobabat uero eius de oceano per cingulum torridum effuso doctrinam. nulla igitur potest esse dubitatio, quin Cleomedes et Hyginus ex communi fonte hauserint. hic autem non Crates est, sed homo doctus Cratete iunior. sed haec hactenus.

Iam uero ad disquisitionem de stellarum fixarum et errantium motu (cf. p. 28, 18—36, 5) nos conuertamus. uerum priusquam ad singula descendamus, cuinam hominum generi qui illam perscripsit aduersendus sit perquirere conducit. non astronomum eum fuisse sed philosophum tum tota eius disserendi ratio — deuitat scilicet adcuratiores computationes satisque fere habet solidos indicare numeros — tum haec quae in principio

¹ Quo modo hoc uocabulum intellegendum sit nequaquam exputo: exarandum fortasse 'habitatione'.

disputationis conlocata sunt uerba dilucide declarant (cf. p. 28, 18 sqq.): ὁ τοίνυν οὐρανὸς κύκλω εἰλούμενος ὑπὲρ τὸν ἀέρα καὶ τὴν γῆν καὶ ταύτην τὴν κίνησιν προνοητικὴν οὖσαν ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ διαμονῇ τῶν ὄλων ποιούμενος, ἀναγκαίως καὶ πάντα τὰ ἐμπεριεχόμενα αὐτῷ τῶν ἄστρον περιάγει. cf. etiam p. 32, 18 sqq.: οὗτοι πάντες τὴν ἐναντίαν τῷ οὐρανῷ κινούμενοι καὶ ἄλλοτε ἐν ἄλλοις ὀρώμενοι οὔτε ἄτακτον τὴν πορείαν ποιοῦνται οὔτε δι' ὧν ἔτυχε τοῦ κόσμου μερῶν ἴσιν, ἀλλὰ κτέ. quorum locorum prior potissimum ita comparatus est ut philosophi citius quam astronomi stilo eum excidisse dixeris. philosophus autem ille a Stoicorum partibus stetisse existimandus est. quippe mundum providentia regi neque quidquam in eo a pulcherrimo ordine abhorreere peculiare Stoicorum placitum est. cf. Zelleri *Philos. der Griechen* vol. III³ 1p. 158 sqq.

Quae cum ita sint, suspicari licet Posidonium parentem esse disputationis de motu stellarum fixarum et errantium. neque uero opus est suspicari, cum res certissimis argumentis euinci queat. primum quidem disceptandi ratio Posidonii est. qui difficiliore res consimilium rerum siue e natura siue e uita cottidiana petitarum comparatione apte et commode inlustrare et explicare adamabat (cf. *Lucubr. Posid.* I p. 16). haud secus auctor disquisitionis de stellis fixis et uagantibus, qui ad harum stellarum cursum explanandum tres admodum festiuas adposuit comparationes (cf. *Cleom.* p. 30, 8—15). quas reuera Posidonianas esse inde liquet et euincitur, quod earum duae apud duos scriptores recurrunt qui hortulos suos philosophi Apamensis doctrina uberrime inrigauerunt: dico Achillem (cf. *Introd.* c. X p. 78 Ur. Pet. [in cuius capitis fronte Posidonius excitatur] et c. XX p. 82 Ur. Pet.) et Vitruuium (uide *Archit.* I. IX p. 223, 20 prox. ed. R. et M.-Str.). atque de illius auctoribus egimus *Quaest. Posid.* p. 363 sqq.; huius uero in parte astronomica (I. IX p. 218, 19 sqq. ed. R. et M.-Str.) fontes hucusque nemo data opera perscrutatus est; tamen eam ex Posidonii libris magnam partem compilatam esse qui uel obiter inspexerit animaduertit: quod adfirmasse hic nobis satis est, cum alio loco de Vitruui libri IX fontibus adcuratius agere decreuerimus. Ceterum quod comparationes quae apud Cleomedem exstant paullulum differunt ab iis quae apud Achillem atque Vitruuium leguntur, caue huic rei nimium tribuas. differentia enim haud ita magna est et ad res leuioris momenti pertinet indeque omnino explicanda est quod tres tenes compilatores quorum quisque pro suo

ingenio ac pro suo consilio exemplum suum descripsit. recte autem si uideo, Cleomedes fidelissime auctorem suum expressit: namque eius comparationes simplicem et quasi primigeniam prae se ferunt formam.

Aperta igitur sunt et luculenta Posidonii in prima parte disputationis de stellis fixis et uagantibus uestigia neque temere quisquam iis nixus concludat totam illam disquisitionem ex hoc philosopho manauisse. quam ratiocinationem uti probo ita usurpare nolim, cum sint homines docti qui opinentur a Posidonio planetarum sphaeras alio ordine conlocatas fuisse atque apud Cleomedem p. 30, 16 sqq. conlocantur. nam cum hic Mercurii sphaeram terrae propiorem esse quam Veneris perhibeat, Posidonium Veneris stellam infra Mercurium positam esse statuisse aiunt¹. quae sententia innititur loco quodam Ciceronis (*De nat. deor.* l. II § 53 sqq.) quem illi uiri docti ad Posidonium reuerti sibi persuasere, uerum iniuria: quippe dissertationem astronomicam quam M. Tullius libro alteri de deorum natura inseruit a Posidonio alienam esse cum alia euidenter arguunt, tum ea quae de stellis inerrantibus legimus l. I. § 54: 'nec uero eae stellae quae inerrantes uocantur non significant eandem mentem atque prudentiam; quarum est cottidiana conueniens constansque conuersio nec habent aetherios cursus neque caelo inhaerentes, ut plerique dicunt physicae rationis ignari; non est enim aetheris ea natura ut uisua sua stellas complexa contorqueat: nam tenuis ac perlucens et aequabili calore suffusus aether non satis aptus ad stellas continendas uidetur.' quae hic de stellis fixis disceptantur, ea plane obstrepunt doctrinae Posidonii ut qui illa astra caelo contineri et contorqueri docuerit (cf. Cleom. p. 28, 21 prox.). ceterum memoratu dignum uidetur quod auctor Ciceronis l. I. physicis rationibus ductus simile ferme contendit atque Hipparchus observationibus astronomicis institutis²: 'scilicet stellas q. u. fixas reapse non fixas esse in caelo uel in aethere, sed proprio motu uti.

Cum igitur Cicero loco supra indicato non Posidonium sed alium scriptorem secutus sit, adparet illum locum nostrae de Posidonio disquisitionis de stellis fixis et errantibus auctore opinioni

¹ Vide Schmekelii *Philos. der mittl. Stoa* p. 282 et Wendland *Berlin. Philol. Woch.* a. 1892 p. 870.

² Cf. Plin. *Nat. hist.* l. II 24 et Ptolom. *Almag.* l. VII 2 p. 166 ed. Bas.

minime aduersari. sed comprobari etiam potest Posidonium stellas uagantes eodem ordine enumerasse quo Cleomedem. quod ex eo efficitur quod haec planetarum conlocatio apud omnes eos scriptores nobis obuenit quos Posidonii libros usurpasse constat. praeter Cleomedem autem huc faciunt Plinius *Nat. hist.* l. II 6 (cf. *Quaest. Posid.* p. 361 sq.); Manilius l. I 811 12 (cf. *Boll. Stud. ib. Cl. Ptolom.* [*Suppl. Annal. Fleck.* uol. XXI (1894)] p. 136 sq.; p. 137 sqq.; p. 218 sqq.); Vitruuius l. IX c. 4 (cf. quae nos modo diximus p. 9 et *Boll. l. l.* p. 190 sqq.); Geminus c. I p. 3 *Ur. Pet.* (cf. *Quaest. Posid.* p. 364 sqq.); anonymus ille christianus qui *Hermippum* seu de astrologia dialogum confecit p. 18 sqq. ed. Kroll. et Viereck. (cf. *Boll. l. l.* p. 81 prox.); schol. *Arat.* ad u. 455 p. 90, 39 *Bkk.*¹; Firmicus Maternus l. I c. III p. 6, 3 sqq. ed. Sittl. (de fontibus l. I cf. *Boll. l. l.* p. 138 not. 1; p. 146 sqq.; p. 181 sqq.); Ptolomaeus *Tetrab.* l. I p. 5 ed. prior. Basil. a. 1535 (cf. *Boll. l. l.* p. 133 sqq.; p. 190 sqq.; p. 206 sqq.)². quibus scriptoribus adiungas uelim M. Tullium propter locum quendam *Somnii Scipionis*. ad quod perscribendum a Cicerone Posidonium abundanter adhibitum esse bene demonstrat Corssen in dissertatione sua *De Posidonio Rhod.* (Bonnae 1878) p. 40 sqq. quamquam *Somnium Scipionis* ex uno Posidonio haustum est: namque in eo insunt quae cum philosophi Rhodii doctrina manifesto pugnent: uelut quae inde a § 21 de zona torrida disceptantur. § 17 autem planetae enumerantur et eodem quidem ordine quo a Cleomede. quam partem *Somnii* ut ad Posidonium redire arbitrer maxime eis perpellor quae statim initio § 17 leguntur ubi de stellis fixis exponitur atque ita quidem ut Ciceronis disputationem cum Posidonii de eodem argumento disputatione quam nobis seruauit Cleomedes (cf. p. 28, 18 sqq.) mire conspirare uideamus.

¹ In scholiorum Arateorum corpore multa insunt Posidoniana. plurimis sane locis Posidonii nomen supprimitur; diserte laudatur bis p. 129, 39 et p. 151, 37. uide et Dielsii *Doxogr.* p. 230 prox.

² Ptolomaeo debet quaecunq; de planetis profert Hephaestio Thebanus in *Compendio astrologico* cap. 2. de eius fontibus diligenter egit Engelbrecht, *Hephaest. v. Theben* (1887) p. 28 sqq. consimili in conditione sunt Theodorus Prodromus qui in carmine suo astrologico inde a. u. 16 de planetis exponit neque non Ioannes Camaterus (cf. eius carm. u. 36 sqq.). utrumque poetam edidit pauca de eorum uita aetaeque praefatus Miller in *Notices et Extr. des Ms. de la biblioth. Nation.* uol. XXIII 2 p. 1—112.

Quae cum ita sint, dubitari nequit quin Posidonius solem medio loco, Venerem autem supra Mercurium conlocarit. falsissimum autem est quod Malchinus l. l. p. 9 not. 7 Blassium secutus hunc ordinem planetarum a Posidonio primo constitutum adseuerat. quod nisi Blassius unus ei instar omnium esset, illum ordinem iam multo ante Posidonium exstitisse ab Hillero, uiro plane egregio, discere potuit¹. qui in libro quem *Eratosth. carm. rell.* inscripsit inde a p. 44 diligenter ueterum de planetarum conlocatione sententias conguessit. at sunt tamen quae addere et corrigere possis. praecipue uero de illo ordine quem Posidonius probabat adcuratius disceptandum erat. qui ordo priscis temporibus ab astronomis Babylois inuentus erat². ex Graecis autem primi eum professi sunt Alexander Aetolus (cf. Theonis *Expos. rer. math.* p. 138 Hiller.), Archimedes³ (cf. Macrob. *Comm. in Cic. S. Scip.* I 19, 2 et II 3, 13), quidam Pythagoreorum (cf. Theo. l. l.). atque quod ad Alexandrum Aetolum attinet, sane magna inter homines doctos lis est, num Theo Alexandrum suum recte Aetolum cognominauerit⁴. nam quos diserte ut huius uersus adfert, eos sub nomine Alexandri Ephesii, cui cognomen 'Lychni' inditum erat (cf. Strabon. l. XIV 642 C), laudat personatus Heraclitus *Allegor.* c. XII Mehler. utri maior fides adiungenda? Naekius (cf. *Opusc. philol.* uol. I p. 13) olim hanc quaestionem sic facillime profigari posse putauit ut Alexandri Aetoli ingenium poeticum ab argumento astronomico prorsus alienum fuisse pronuntiaret. quae tamen ratio uel per semet ipsam ualde debilis labefactatur eo quod Sextus Empiricus expresse

¹ Cf. etiam Iani comm. *Die Harmonie der Sphaeren* insertam *Philol.* uol. LII (1894) p. 13 sqq.

² Cf. Tannery, *Rech. sur l'hist. de l'astr. anc.* (1893) p. 260 sq. et Hultschium in Pauly-Wissowae *Realencyclopaedie* uol. I p. 1883 prox.

³ Ambigi potest quo loco Archimedes de stellis errantibus dixerit. fortasse in libro qui inscriptus erat *Σφαίροποιία*, qua de uide Hultschium l. l. p. 537, 28 sqq. ceterum quod hic uir doctus adserit licet lacer sit Ciceronis locus *De re publ.* I 14, 22, tamen inde adparere in Archimedis sphaera stellas uagantes lunam solemque secutas esse, insigniter labitur: perinde ac si quis e loco Ciceronis *De decor. nat.* II 88 ubi haec legimus de Posidonii sphaera: 'eius singulae conuersiones idem efficiunt in sole et in luna et in V stellis errantibus quod efficitur in caelo singulis diebus et noctibus' concludat Posidonium soli primam sphaeram tribuisse, lunae alteram, sequentes sphaeras V planetis! nulla omnino est causa cur de Macrobiani testimonii fide dubitemus.

⁴ Vide Meinekii *Anal. Alex.* p. 371 sqq. et Maassi *Arateor.* p. 149.

testatur poetam Aetolum carmen astronomicum condidisse¹. cf. *Adv. math.* l. VII p. 331, 23 Bkk.: ὡσαύτως δὲ καὶ παρὰ τοῖς τὰ οὐράνια πραγματισαμένοις, καθάπερ Ἀράτῳ καὶ Ἀλεξάνδρῳ τῷ Αἰτωλῷ. quem ad modum uero Naekii argumentum sic ne Hilleri quidem (cf. *Mus. Rhen.* XXVI [1871] p. 586) tanti ponderis est ut eo fretus uersus a Theone seruos ab Alexandro Aetolo abiudicare queas. nullum igitur adlatum est aut adferri omnino potest argumentum quo Theonis memoriae fides infringatur. sed Pseudoheracliti etiam testimonium ueri speciem prae se fert, quoniam Alexandrum Ephesium carmen astronomicum metro dactylico condidisse testis est Strabo l. l., ubi: Ἀλέξανδρος <ὁ> ῥήτωρ — ἔπη κατέλιπεν ἐν οἷς τὰ τε οὐράνια διατίθεται κτέ. quae cum ita sint, aut tibi cum Maassio desperandum quaestionem certa ratione decerni posse aut statuendum erit uersus qui aguntur ab Alexandro Aetolo confectos, ab Ephesio autem Alexandro ex eius carmine in suum ipsius translatos esse. haec sententia ut primo adpectu parum probabilis uidetur esse, ita habet quo commendetur. legimus enim apud Ciceronem in *Epist. ad Attic.* II. 22: ‘libros Alexandri negligentis hominis et non boni poetae, sed tamen non inutilis tibi remisi.’ comperimus poetam Ephesium fuisse negligentem hominem h. e. eum libris suis componendis non magnam curam impendisse. quidni talem hominem suis aliena abunde immiscuisse credamus? potuit autem eo tutius Alexandri Aetoli uersus sibi adsciscere cum non speciosas nouasque contineant sententias, sed nudam exhibeant stellarum errantium enumerationem. postremo si quis ueri simile esse non existimauerit poetam ab poeta descriptum esse, recordetur quam fortiter cum alii poetae tum comici sua inuicem scrinia ex-pilauerint².

¹ Simili atque Naekius puto ratione ductus Nauckius (cf. *Arist. Byz. fr.* p. 283) ex numero scriptorum Aristophanis Byzantii Φαινόμενα probe antiquitus tradita extirpare uolebat. iusto ei iure oblocutus est Maassius *Arateorum* p. 151.

² Audacissimus in furando fuisse uidetur Menander. cuius furta conlegere et composuere Aristophanes Byzantius libro Παράλληλοι Μεγάλου καὶ ἀπ’ ὧν ἔκλεψεν ἐκλογαί (cf. Nauck, *Aristoph. Byz. fr.* p. 280) et is cuius uerum nomen delitescit in nomine ‘Latini’ quem sex libros confecisse Περὶ τῶν οὐκ ἰδίων Μεγάλου memoriae prodit Porphyrius apud Euseb. in *Praep. euang.* l. X 3, 8. cum uero hi libri perissent, tota de Menandri furtis hominibus nouiciis retractanda erat quaestio. atque praeceunte Valckenario potissimum Meineke *Frg.*

Quibus expositis de Pythagoreis uideamus quos Theo iuxta Alexandrum Aetolum memorat. hos non ad ueterum Pythagoreorum coetum adnumerandos, sed seriores homines esse cum ex aliis rebus cognoscitur tum ex eo quod solem medium locum inter planetas occupare contendunt. quae opinio demum Alexandrina aetate apud Graecos exstitit (cf. Ianum in *Philol.* uol. LII p. 17). sed artius etiam tempora eorum circumscribere licet. non post priorem partem primi ante Chr. nat. saeculi eos fuisse inde consequitur quod Varro doctrinam eorum nouerat; cf. quae ex hoc descripsit Censorinus in libro *De die natali* cap. XIII p. 23 Hu. p. 18 Cholod.

Denique tres alterius ante Chr. nat. saeculi homines mihi nominandi sunt quos Posidonio in probanda illa stellarum erraticarum conlocatione quam Blassius ab eo inuentam sibi persuasit praeisse constat: Hipparchus (cf. Ptol. *Almag.* l. IX p. 207 ed. Basil. et Hultschium in Wissowae *Realencyclopaedie* uol. I p. 1857), Diogenes Babylonius (cf. Hultschium l. l.); Panaetius, Posidonii praeceptor (cf. Cic. *De diu.* l. II 43, 91 = Fowler, *Panaetii et Hecatonis libr. frag.* [Bonnae 1885] p. 37 sqq. uide et Schmekel, *Philos. d. mittl. Stoa* p. 230).

Sed redeat disputatio nostra in fines suos. uidimus erroneam esse opinionem eorum qui a Posidonio planetarum sphaeras eodem ordine dinumeratas fuisse infitiantur atque apud Cleomedem fit. iam nulla est causa cur dubitemus quin Cleomedes a Posidonio disquisitionem de stellis fixis et errantibus mutuatus sit.

Proximum est ut anquiramus quis auctor disputationis de anni temporibus deque adcretionem atque deminutionem dierum noc-

com. uol. IV p. 705 sqq. ostendit quam impense Menander sibi placuerit in recipiendis totis Euripidis senariis. re ita comparata nihil uerendum ne Aristophanis istiusque Latini scripturae ex eodem genere fuerint ex quo erat Philostrati libellus *Περὶ τῆς τοῦ Σοφοκλέους κλοπῆς* uel Alcimi inquisitio de furtis Platonis (cf. Laert. *Diog.* III 9 sqq.). — Porphyrius apud Euseb. I. l. etiam aliud narrat quod summo opere notabile est: peruidisse Caecilium *ἄλον δράμα ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος Ἀντιφάνους τὸν Οἰωνιστὴν μεταγράψαι — τὸν Μένανδρον εἰς τὸν Δεισιδαίμονα.* hoc prorsus incredibiliter sonat; tamen Menandream fabulam cum Antiphanis aliquo uinculo copulatam fuisse necesse est. fortasse Menander Antiphaneae fabulae sumpserat argumentum nouisque uerbis explicauerat. uel hoc satis audax est furtum, sed explicatur aliquo modo eo quod Menandri temporibus scena Attica quotannis flagitabat pergrandem numerum fabularum. poterat hinc etiam sollers et ingeniosus in excogitandis fabularum argumentis poeta in angustias adduci.

tiumque uideatur esse. quam ipsam quoque ad philosophum Apameum reuocandam esse duplici ratione comprobari potest: primum quidem ita ut propter similitudinem et sententiarum et disserendi rationem auctorem disquisitionis de stellarum motu non diuersum esse ab eo, qui de anni temporibus deque dierum deminutione egit, demonstramus; deinde ita ut certa Posidonii doctrinae uestigia ostendamus. utramque deinceps uiam ingrediemur. atque disserendi ratio auctoris alterius disputationis simillima rationi disceptandi auctoris disputationis prioris: philosophum audimus, non mathematicum. sententiarum autem inter utrumque scriptorem congruentia maxima est. statim in fronte prioris disquisitionis motus caeli ad conseruationem et salutem mundi a prouidentia adaptatus esse declaratur: consimilis notula in altera disputatione reperitur. cf. p. 52, 13 sqq.: διὰ γὰρ τοῦ ζῳδιακοῦ λοξοῦ ὄντος τὴν πορείαν ποιούμενος (ὄλδ. ὁ ἥλιος) σχολαιώτερος ἀφίσταται τῶν τροπικῶν· κατὰ δὲ τὸν ἰσημερινὸν ὀρθότερου αὐτοῦ ὄντος ἀθροστέρας καὶ τὰς προσόδους τὰς πρὸς αὐτὸν καὶ τὰς ἀπ' αὐτοῦ ἀναχωρήσεις ποιεῖται, δαιμονίως τῆς προνοίας τοιαύτην τὴν σχέσιν τοῦ ζῳδιακοῦ πρὸς τοὺς τροπικοὺς ἐργασαμένης ὑπὲρ τοῦ λεληθυίας ἀλλὰ μὴ ἀθρόας γίνεσθαι τὰς τῶν ὠρῶν μεταβολὰς. porro ambo conspirant in certis quibusdam terminis technicis adhibendis. e quibus ille maxime notabilis est quo proprium stellarum uagantium cursum designant, quem προαιρετικὴν κίνησιν nuncupant. hunc terminum propterea notandum dixi quod quantum equidem scio apud alium scriptorem non recurrit. uolgo quidem proprium planetarum cursum ἰδίαν κίνησιν perhibent. cf. e. gr. Achill. *Introd.* cap. X p. 78 Ur. Pet. (ibi ἰδίαν κίνησις opponitur κοσμικῇ) et cap. XVIII p. 81 Ur. Pet.¹

Neque uero ego cetera in quibus uterque auctor concordat singillatim persequar; satis habeo eos adposuisse locos qui inter sese comparandi sunt. cf. sis p. 28, 18 cum p. 40, 27; p. 36, 2 sqq. cum p. 40, 14 sqq.; p. 34, 12 sqq. cum 44, 14 proxx.; p. 32, 26 sqq. cum p. 52, 4 sqq. in tanto sententiarum concentu profecto dubitabile esse non potest quin auctor disputationis de anni temporibus uous idemque sit atque is cui Cleomedes quae-

¹ Insidet huic loco leuiusculum mendum quod facile est ad tollendum. legimus οἱ μὲν ἀπλανεῖς ἐναρήρασι τῷ οὐρανῷ καὶ εἰσὶν ἀκίνητοι κατὰ τὸν ἴδιον λόγον. nempe pro ΛΟΓΟΝ exarandum ΤΟΠΟΝ.

cumque de planetis stellisque inerrantibus expromit debet. qui cum Posidonius sit, sequitur et disquisitionem de temporibus anni ad hunc redire.

